

SPIESII, Franci, alleatus, de nostro ad eandem transferendo, quod et factum est anno cīc līc li. Hic per biennium in vtraque litteratura non tantum, sed et logicis atque rhetoriciis exercitiis, pangendisque carminibus, tantos progressus fecit, ut, cum SPIESIVS ad illustre Gymnasium Durlacense, praceptoratum supremae classis et professionem eloquentiae aditus, euocaretur, doctorem hunc suum vna cum reliquis commilitonibus fere omnibus sequi posset, ubi, depositionis ritu Argentinae prius peracto, ad lectiones publicas audiendas translatus, CONR. WEININGERO, Gymnasiū Rectori, Theologiae et Philosophiae Moralis, D. IO. FRID. HEILBRUNNERO, ebraeae linguae et Theologiae polemicae, D. SIG. CLOSIO, Physices atque Metaphysices, DAV. FLECKHAMMERO, Mathematum, et SPIESIO denique suo, Oratoriae et Poëseos, Professoribus clarissimis induulsus adhaesit. Sed mox incredibili desiderio Academiam adeundi captus, impetrato prius paterno consensu, anno cīc līc lv. vicinum Argentoratum petiit, palaestram eis temporibus et doctorum, in omni disciplinarum genere immortalem ad hunc usque diem famam adeptorum, copia, et ciuium, ex vniuersa fere Europa huc confluentium, frequentia, longe celeberrimam. Per integrum ibi sexennium et amplius hospitio usus est Soceri postea sui, GEORG. OBRECHTI, Jurisconsulti, imperialis iudicij Cameralis delegati et Senatus minoris Aduocati ac Procuratoris ordinarii, cuius in primis filios, Ulricum et Eliam, maxime postea apud Potentissimos Galliae et Sueciae Reges dignationis viros, primum ad litteras huma-